

pariter atque Hebraicis aliisque, uti vocant, Orientalibus Humanitatisque studiis subsidia. Nec minus in Historia sacra ipsos fontes adis, ex quibus longe dulcius bibitur, laborem quem requirunt non timens. Nec uti canis, quod ajunt, è Nilo quædam tantum celeri studio degustas; verum nobilem, mihi, quod præfiscine dixerim, amatissimam, cum mora quidem aliqua conjunctam, uti videri posset, ast eo ipso solidiorem Methodum Magni nostri BOECLERI, quam ipse observavit, quamque aliis jure suo commendavit, in *Libro Comment. ad Corn. Nep.* p. 39. seq. non sine fructu hactenus essecutus. Liceat Lectoris in gratiam pauca inde excerpere: *Studia mea*, inquit, *ab ineunte aetate quodam naturæ instinctu ita tractavi, ut cum lectioni, memoria, auscultationi, scriptioni merito tempus suum tribuerem, nihil horum mihi viderer perfecisse, sine seria animi commentatione: quam sic priori operæ interponebam, ut plerumque plus etiam temporis sibi vindicaret. Libenter patiebar alios festinare, & multa paucis horis evolvere: mihi nihil placebat, nisi eam mora meditationis non curiose magis exploratum, quam usibus futuris præparatum. Ita fiebat, ut in quorum cognitione versarer, de eorum semper usu cogitarem; quem latissime patere mature audebam intelligere. Crevit hoc studium cum tempore, eoque pervenit, ut interdum, fatebor enim vobis, in quodam amabilis morbi genere id soleam numerare: nisi quod magis magisque cogor credere, unam hanc efferationem, qua artium disciplinarumque omnium fundamenta stabiliantur &c. Specimen ejus egregium exhibes in Diatribe hac. Amas Ecclesiæ Annales evol-*

vere